



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

§. 7. De Versibus Nocturnorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

unam, plurésque, cum iusta causa, non peccat. ex Bonac.
Gavant. sect. 1. c. 6. tit. 9. n. 2.

§. VII.

De Versibus Nocturnorum.

I. IN Dominicis, Ferijs, & Vigilijs, quæ sub ritu Simplici celebrantur, sumuntur ex Psalterio. In Duplicibus, & Semiduplicibus ex Communi Sanctorum, nisi proprij præscribantur. In Simplicibus accipiuntur de Sanctis, prout in Psalterio post Psalmos cuiuslibet Feriæ notatur.

II. Tempore Paschali in fine Versûs, & Responsorij additur Alleluja.

§. VIII.

De Absolutionibus, & Benedictionibus.

I. Post versum dictâ oratione Dominicâ dicuntur Absolutiones, prout immediatè ante Psalterium notatur. Quando dicitur illa Benedictio, *Cuius Festum colimus*, non additur nomen Sancti.

II. Qui solus recitat Officium ante Benedictionem debet dicere: *Iube Domine*, non *domne*, quia tunc à DEO petit benedictionem. Gavant. c. 11. n. 4. & colligitur ex Rubricis Missalis tit. 6. de ritu celebr. Miss. n. 2. ubi celebrans dicere iubetur: *Iube Domine benedicere*; Diaconus verò in ordine Missæ solummodo *Iube Domne benedicere*.

III. Dicuntur semper excepto triduo ante Pascha, & in Officio Defunctorum.

IX.

De Lectionibus.

I. IN Dominicis, & Ferijs sumuntur semper ex proprio de tempore.

II. In Duplicibus primæ & secundæ Classis & Majoribus per annum, primæ tres Lectiones, si propriæ non habeantur, ex Communi Sanctorum sumendæ sunt; quod idem etiam faciendum in Festis Patronorum minùs Principalium, nisi ob angustiam temporis ponendum sit initium Prophetæ,